

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri  
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta  
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Tertullus.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

tiam noctis: jumenta adhibete, ut eo impositum Paulum, ad Felicem Prætorem perducant. Ego ad eum epistolam scribam.

## SENTENTIA.

*Ficti homines piis pertinacissime infidiantur.  
Sæpe minus est in gentilibus iniquitatis, quam in iis, qui se Dei populum gloriantur.*

TERTVLLVS. Actor. 24.

## ARGUMENTVM.

Paulum accusat Tertullus orator apud Felicem Prætorem. Paulus crimina diluit. Felix causæ cognitionem differt in adventum Lysia Tribuni, Paulumque jubet remissius custodiri.

*Felix Præses, Tertullus orator, Paulus, Concilio Judæorum.*

**A**dest hic reus ille Paulus, Anania Pontifex, & vos seniores. Supereſt ut vester orator accuset. *Ter.* Quod maxima pace per te fruimur, quodque tua prudentia hæc provincia recte administratur, nobis omnino gratissimum est, optime Felix, & agimus gratias quam possuimus maximas. Sed ne tibi diutius sim molestus, quæſo, ut nos pro tua æquitate paucis audias. Invenimus hominem hunc pestilenteū, & seditiones omnibus ubique terrarum Judæis concitantem ac sectæ Nazarenorum principem, eo usque, ut etiam fanum profanare conatus sit. Eum nos comprehensum volui-

voluimus ex nostra lege judicare, sed intercessit Lysias Tribunus, eumque magna vi e manibus nostris eripuit, ac jussit, ut ejus accusatores apud te adfissent. Ex quo quidem Lysia poteris, si querere voles, certior fieri de omnibus criminibus, nos quibus hunc insimulamus. Atque haec ita se habere, testis est universa Judæorum, quos adesse vides, concio. C. Ita est. P. Licetne mihi causam dicere? F. Licet. P. Evidem eo confidentius pro me dico, quo scio te multos jam annos huic genti jus dicere: ut possis intelligere, me non plures duodecim complevisse dies, ex quo Hierosolymam ad divinum cultum concessi.  
a) Neque vero me in templo invenerunt cum aliquo colloquentem, aut vulgi seditionem facientem, neque in collegiis, neque oppidatim: nec me eorum possunt convincere, de quibus accusant. b) Illud autem libenter apud te confitebor, me ex institutione, quam sectam dicunt, Deum colere patrium, fidemque adjungere omnibus, quæ in disciplina nostrâ & Vatis scripta extant: tantumque mihi de Deo spondere, ut exploratum habeam, mortuos tum bonos tum improbos aliquando revicturos: id quod ne ipsi quidem non sperant. Atque evidem in id incumbo, ut rectam conscientiam Deo semper hominibusque probare possim. Veneram autem post annos complures, ut muneribus egestatem non nullorum meorum popularium allevarem, ac festa

U 3

liba-

a) Quæstio facti.

b) Quæstio juris.



## 310 DIALOG. SACRORVM

libarem: cum me expiatum offenderunt in fano, nulla cum turba, aut tumultu. Hi sunt quidam ex Asia Judæi, quos oportebat apud te præsto esse, & accusare, si quid in me haberent. Aut etiam hi, si quod deprehenderunt in me crimen, dicant fane, dum adsto in concilio. Nisi forte crimino-  
sa est una hæc vox, quam inter eos sic clamavi: **Ego** hodie a vobis reus agor defensæ mortuorum resurrectionis. **F.** Jam finem facite. Cum Lysias Tribunus venerit, cognoscam de vestra causa. Interea tu Centurio Paulum custodi, ita ut remis-  
fius habeatur: neve aliquis necessariorum ejus au-  
ditu aut famulatu prohibeatur.

### SENTENTIA.

*Veritatis professionem seditionem interpreta-  
tur calumpnia. Calumniatores modo ementiendo,  
modo torquendo, nihil candide dicunt. Calu-  
nniatoribus calumpnia impune est; insontibus in-  
nocentia non idem. O judices, ubinam dormit  
lex Talionis.*

### FESTVS. Actor. 25. & 26.

#### ARGUMENTVM.

Paulus ad Agrippam Regem causam di-  
cit, in qua de sua legatione, mortuorum-  
que resurrectione differit. Festus Præses  
eum insanum appellat: Agrippa insontem  
judicat.

*Festus*

